

EVCLIDIS MEGARENSIS GRAECI PHILOSOPHI, ARITHMETICORVM ELEMENTORVM LIBER OCTAVVS.

Ex Campano.

Diffinitiones



Atera numerorum dicuntur, quorum multiplicatione numeri producuntur. 2 Superficialis appellatur numerus, qui sub duobus lateribus continetur. 3 Solidus uero, qui sub tribus, ex quorum continua multiplicatione habet procreari. 4 Quadratus, est numerus superficialis aequalibus lateribus consistens.

5 Cubus, est solidus aequalibus consistens lateribus. 6 Similes dicuntur numeri superficiales siue solidi, quorum latera sunt proportionalia.

G. C. m. i. p. c. p. Eucli. ex Camp.

Propositio 1



In numerotum quotlibet continuæ proportionalitatis duo extremi fuerint contra se primi, eos omnes secundum suam proportionem minimos esse necesse est.

CAMPANVS. Sint continue proportionales a, b, c, duoque extremi qui sunt a, c, sint contra se primi, dico quod in eadem proportione, non reperientur totidem minores. Si autem contingit: sint d, e, f, eritque per 15 septimi, a ad c, sicut d ad f, & quia a & c sunt minimi in sua proportione per 23 eiusdem, sequitur per 21 ut a numeret d, & c, f, maiores scilicet minores, quod esse non potest.

Eucli. ex Zamb.

Theorema 1

Propositio 1



Si fuerint quotcunque numeri continue proportionales extremi uero ipsorum primi adinuicem fuerint, minimi sunt eadem rationem habentium eis.

THEON ex Zamberto. Sint quotcunque numeri continue proportionales a, b, c, d, extremi autem ipsorum hoc est a, d, primi sint adinuicem. Dico quod ipsi a, b, c, d, minimi sunt eandem rationem habentium eis. Si autem non sint minores ipsis a, b, c, d, ipsi e, f, g, h, in eadem ratione existentes eis. Et quoniam ipsi a, b, c, d, in eadem sunt ratione ipsis e, f, g, h, & aequalis est multitudo ipsorum e, f, g, h, at a, d, multitudini ipsorum a, b, c, d, & que igitur est sicut a ad d, sic e ad h, primi sunt adinuicem, primi uero, & minimi (per 14 septimi,) minimi autem numeri metiuntur eandem rationem habentes aequaliter, antecedens antecedentem, & sequens sequentem (per 21 septimi.) Metitur igitur a, ipsum e, maior minorem, quod est impossibile. igitur ipsi e, f, g, h, minores existentes ipsis a, b, c, d, in eadem non sunt ratione ipsis. igitur a, b, c, d, minimi sunt eandem rationem habentium eis quod oportebat demonstrare.

G. C. Eucli. ex Camp.

Propositio 2

2 Numeros quotlibet continuæ proportionalitatis, secundum proportionem datam minimos, inuenire,

